

Et is, confertim facta euacuatione demendus erit. Adeò vt hoc præcipuum sit præceptum, id quod ali-
 quid indicat, idem per suas differentias sumptas in genere, in qualitate, quantitate, tempore, loco, ordi-
 ne, modo, scopos indicare, qui respondent prædictis differentijs, ex quibus patent indicantia, & quo-
 modo illis sit vtendum. Postea verò quaerenda sunt contra indicantia, quæ scilicet singulis scopis sese
 opponunt. Statuamus autem vires esse, quæ venæ sectionem impedire dicantur. Itaque quum illæ posi-
 tæ sint infirmæ, sed non prostratæ, nequaquam prohibebunt sanguinem prorsus detrahi, sed admit-
 tent. Verum pro imbecillitatis quantitate, & alijs conditionibus repugnabunt quantitati vacuationis,
 modo, tempori, loco, qualitati. Magnas enim vacuationes nec confertim factas, nec magnas incisio-
 nes venarum per quas spirituosa substantia exhalat, dissoluiturque robur, non ferunt infirmæ vires;
 nec quo tempore admodum laborant, eo admittunt detractionem fieri, sed prius sui restorationem
 postulant. Sic igitur contraindicantia ad rem ducenda sunt; ac in omni auxilio singulisque illius sco-
 pis spectandum, quid per se repugnet, quid per accidens, quid verò admittat vnumquodque. Habitus
 verò corporis, color, venarum tumor, ætas, anni tempus ostendunt, quomodo sint vires affectæ, do-
 centque sanguinem abundare, & illius qualitatem, quoque in loco redundet, & reliqua, quæ postea
 scopos indicant, & propterea illa tanquam coindicantia, & correpuantia commemorantur. Sed hæc
 figillatim profèqui non esset methodum consultandi, sed medendi potius velle conscribere. Sunt enim
 illa omnia prænoscentia, antequam ad consultationes veniamus, quando hic non de singulis rebus
 præcepta tradere debemus. Sed illud duntaxat docere, qua ratione illa, quæ ars docet commodè
 ad consultationes trahi possint. Quamobrem postea quam ea expediuimus, quæ præter naturam
 sunt, superesse video, vt pauca quædam subiiciamus de victu, eaque parte, quæ in tutela eius, quod
 secundum naturam est, versatur. Nam antea duo potissimum præstanda esse à medico (dum ægrotis
 medetur) commemorauimus; quorum alterum, & primum est, vt studeat abigere, quæ præter natu-
 ram sunt; alterum verò vt ea tueatur, quæ sui custodiam indicant. Quid autem postulet, quod est
 præter naturam; quidque de eo sit dicendum, (vt diximus) iam omnibus patere puto; nec est quod
 in alio multum laboremus, quando illud solum satis est obseruasse, vt interim dum abigimus, quæ
 nature sunt aduersa, commodo victi vires, foueamus, ne scilicet vel eas in leuissimis affectibus ex-
 quisitiore victu demoliamur, vel vulgari quadam, & negligentiore nutriendi ratione eas oneremus,
 adeò vt nequeant morbosas causas in alio negotio plus iusto occupatæ conficere, discutereque. Illud
 quoque cauendum est, ne validissimis præsidijs in leuioribus malis vtentes viribus iniuriam infe-
 ramus, aut in grauissimis tentemus leuissima quæque, præter modum de virum robore solliciti.
 Tantum enim per morbos viribus tribuendum est; tantumque recedendum à solita viuendi ratione,
 quantum permittit cura eius, quod præter naturam est. Quod qui assequi poterit (assequetur autem
 qui indicantium, & contraindicantium vim, dignitatem, & naturam expendet) is profectò rectè
 semper vires conseruabit, aletque ægrotos, nec interim omittet quicquam, quod faciat ad ea abigen-
 da, quæ molestant. Quapropter ei, qui intellexerit, quid sit, quod victum indicat, quibusque, &
 quot scopis viuendi, nutriendique ratio constet, nihil amplius deesse potest. Eum verò, qui hæc
 non prænoauerit, hortari oportet, vt prius illa discat, quàm ad hanc nostram tractationem, quæ his
 duntaxat, qui artis præcepta tenent, potest prodesse, accedat.

De probandi, pronunciantique ratione in consultationibus.

Cap. XII.

INVENTIS rebus in vnaquaque parte consultationis necessarijs per resolutionem, di-
 uisionem, & alia propria, singulis instrumentū ac modus in probationib. adhibendus est,
 & hæc ratio tenenda, vt singula ex proprijs instrumentis probentur, ratione quidem, si ex
 ea probationes ducendæ sunt; experientia verò addenda est, si quid illa præstare valeat. At
 autoritate maiorum, ea solum comprobanda, in quibus nec ratio, nec experientia rei propositæ lucè
 adferre possunt. Adhibendæ verò ita sunt rebus probationes, ne in obscuris desint, nec in euidentibus
 redundant. Qua quidem in re non solum damnandum est, sed etiam deplorandum multorum inge-
 nium, & institutum, qui in suis consultationibus nihil aliud habent in ore quàm vel Galeni, aut Au-
 cennæ, vel Pauli, aut alterius denique authoris nomen. Nec interim spectant, quid autoritate, & ver-
 bis scriptorum, quid verò ratione, aut experientia probari debeat. Videbis & alios, qui in rebus notis-
 simis lippis etiam (vt aiunt) & tonforibus citabunt nunc hunc, nunc alium scriptorem; qui certè de-
 terius quàm alij omnes artifices sunt affecti, quando ignorant, quænam sint obscura: quæ lucida, &
 suapte natura perspicua. Probentur ergò, quæ fidem aliunde requirunt, ex proprijs principijs; autho-
 ritateque scriptorum vtamur, vbi ratio, & nostra experientia nullam ad probandum vim habent; atq;
 id quidem moderatè. Nam & illud ridiculum est ex infinitis locis authorum testimonia petere, aut
 in medicina philosophos aduocare testes, quod sciolos quosdam, & ineptos homines facere vide-
 mus, qui nequeunt perspicere quid deceat, quidque rebus conueniat. Corrupta verò eam probandi ra-
 tionem